ENCOMIVM
ANGELICI VATIS.
DIVI IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE.
AD FÆLIX ANNI AVSPICIVM.

Illustri & Magnifico Domino,

D. JOANNI WĘZYK,

SYRADIENSI, VARTENSI, &c. &c.

CAPITANEO,

Domino obseruandissimo.

Capitaneo Capit Capitaneo

R. & V. P. ADAM LAVRENTIO JASINSKI, Artium & Philosophiæ Baccal:

Officiosæ gratulationis ergo

DICATVM.

Anno Domini, M. DC. XL. IV.

CRACOVIÆ, In Officina Stanislaj Bertutowic.



Jane, quid auſpicij redimito huic innuis angui?
Sedibus an referes quas Ophiuchus habet?
Falleris: hic ſerpens maiores ſpectat honores,
Cûi pomum virtus, Crux diadema dedit.
Dic age, WĘŻYKOVIANA Domus Pylyos floreſcat in annos,
Poma ferant faſces, Crux ſuper aſtra vehat.

Joannes de Romiſsowice Stokowski
Subdap. Ter: Lanc: Stud: Pôeſ.

Jllustri & Magnifico Domino,

D. IOANNI WĘZYK,

SIRADIENSI, WARTENSI, &c. &c.

CAPITANEO,

Domino Fauentissimo.

P. F. P.

PRINCIPEM *mentium cælesti regione exturbatum Jllustris & Magnifice Domine, non solùm fastu verùm etiam Inuidiâ & Libidine tam enorme malum & grauem cladem sibi accersiuisse SS. Ecclesiæ Doctorum testantur paginæ, à quibus Criminatoris & immundi Spiritus nomen sortitus est. Eò quòd Humanum genus miræ pulchritudinis futurum, imaginemq; Dei repræsentaturum prænoscens, deformare appetierit; Verbumq; Dei nullis tramitibus circumscriptum carne mortali assumptâ, Hominem altissimo Cæli domicilo inserendum præsciens, tantam fælicitatem mortalium generi inuiderit, nec cohæredem æternæ Jerusalem quenquam esse voluerit. Sed quem spes dominandi ad Aquilonem elusit, prædam vasto Climate mundi inhabitantem rapere, subiugare. Tartareisq; lacubus suffocare conatur; vnde Cerberi infernalis frater accusator fratrum nuncupatur: Cuius odij non alia causa est, quàm dominandi ambitio. Nam sicut animi summissio est mater verecundiæ nutrix charitatis; sic arrogantia fædæ lasciuiæ origo, & multorum scelerum nutrix exosa; vtpote quòd tam virtutes quàm vitia concatenatum inter se nexum habere videantur. Incongruum igitur fuit cælos adamante nitidiores, auro, gemmisq; splendidiores, titionem infernalem posse retinere, quin potius ruptis cardinibus, spiritum luce orbatum in stygias detrusere & demersere paludes. Proinde nouum amænissimi illius Regni incolam, purissimum mente Angelum, castam corpore virginem, pudici amoris seruandi inter fratres sollicitum præconem, lumine perspicacis in-*

tellectus arcana Sanctissimæ Triadis penetrantem, Diuum Joannem Euangalistam, metris non ex ipso Heliconis fonte emergentibus, tanquam Clienti Patronum Jllustri Magnificenciæ Tuæ offero. Dignus equidem Patronus Cliente, nec indignus Cliens tali Patrono; quem cum optimè nouerim quòd summo prosequaris honore, ita vt non opus habeas tanti Tutelaris mea commendatione. Attamen promptitudo obsequiorum meorum in Jllustrissimam Domum Tuam, temporis ipsius solennis festiuitas, & quòd magis est Nepotis Tui parua quâ in decantando perfunctus est opella, id à me expostulauit vt amplissimo Nomini Tuo consecrarem. Nec immerito: vnde enim splendoris fontes largè promanarunt, in eundem Oceanum præpete cursu reuertantur. Excellens materia, Herois magni facinora eximia, Aligerũ industriâ tractanda, hoc exili opusculo continentur, quòd licet Mæonium, non tamen ab ipso Parnasso depromptum, Tuo iucundissimo aspectui comparere veretur, nè suffusum rubore citius repulsam patiatur, quàm in sinu beneuolo conquiescat. Sed me recreat innata bonitas, & mens generosa M. T. quòd hoc Xenium non tam exquisitum, quàm prono animo oblatum, aspernari noles. Scio enim, nec hunc vniuersum orbem latet, quòd D. Apostolum Delicias Christi, pluribus, quam Lucij Dentati robur laureis victricibus & oleis triumphatricibus redimitum coronis, laude celebrare sit difficile, Tuamq; Jllustrissimam deprædicare Familiam, summè arduum: cuius virtus sic viget & semper vigebit, vt de Exedris mellifluæ Suadæ aliunde non postulet ornamenta. Nam si generosæ stirpis Tuæ fortitudinem & in rebus gerendis dexteritatem intueor, Martis & Bellonæ augustale cerno: Si prudentiam hanc in stemmate Tuo (Numinis altissimi oraculo comprobante) sedem sibi fixisse aduerto, quæ virtutes vnitæ semper WĘŻIKOVIANÆ DOMVS *fuère sedes & solia: vnde tanquam ex Equo Troiano, multi de Ecclesia deq; Republica bene meriti prodiere Heróès. Quorum texere numerum superuacaneum, vnus sit instar mille, piæ memoriæ Jllustrissimus Patruus Tuus Princeps Regni Dynasta* JOANNES WĘŻYK *Archiepiscopus Gnesnen: quem silentio inuoluere nefas;*

cuius

cuius prudentiam, dexteritatem, animi robur, non modo ampliſſimum hoc Poloniæ Regnum, ſed tota Europa obſtupeſcit. Tot Synodos ſanctè celebratas Eccleſia Orthodoxa amplectitur, Tot decreta Ciues Patriæ venerantur, Tot conſilia ſalubria tanquam ex tripode Apollinis deprompta totum Regnum exoſculatur. Tripudiat ſuaue olens Regni pomum tot hoſtium vndiq; inhiantium manibus coronatrice dextrâ ereptum, & vni pulchriori Auguſtiſſimo & Sereniſſimo VLADISLAO IV. *datum: Quod neq; Boreæ ſeptentrionalis, non Euri Orientalis, non deniq; Cauri occidentalis impetuoſis flatibus emarceſcet, ſed ſartum ac tectum cum glorioſâ Domus Tuæ famâ longum perennabit in æuum. Non degenerem Te Jlluſtris & Magnifice Domine virtutum ſuarum reliquit ſectatorem, quem non in opes ad obſequium Eccleſiæ Patriæq; diſpertitas, ſed in virtutes & merita coaugmentata ſucceſſorem habere voluit, quibus ornatus & Principis gratiam & Equeſtris ordinis amorem tibi conciliares. Nec ſpe fruſtratus magnus Antiſtes: Teſtatur Pallatinatus Seradienſis Tuam prudentiam, cuius tu Aſtræam exercens clauum tenes, nemo reperitur qui Tui Iudicij Caſtrenſis decreta incuſet: Teſtatur Varta pietatem, tot vota ad Beati Raphaëlis Mauſolæum expleta: Teſtatur deniq; tota vicinia humanitatem, liberalitatem, & hoſpitalitatem quam omnibus oſtendis: Nemini ſupercilium tuum contractum, nemini ianuæ clauſæ extiterunt. Sed quidquid prudentiæ, Comitatis morum, affabilitatis intrepidi animi eſt, id totum* WĘŻYKOVIANVM *eſt: vt cætera omittam. Jllud magni animi ſpecimen & pietatem in altricem ſuâm Almam Academiam Cracouien: Perilluſtris & Admodum Reuerendi Domini* ALBERTI WĘŻYK *Decani Gneſnen: viri doctrinâ, conſilio, dignitate conſpicui, virtute Fratris Tui verè germani tacitus præterire non poſſum: qui nuper Tribunalis Regni Iudex deputatus, pro Libertate Vniuerſitatis noſtræ ſanguine fuſo recuperata, tot Pontificum, Principumq; Priuilegiis roborata (nè generoſa pubes Polona vili de Cauſa ad iudicia aliena traheretur, ſed ſoli vniuerſitatis Almæ Gubernatori citata reſponderet) pectore im-*

pauido

pauido temeræ restitit audaciæ, & ore vindice è iugo seruili vt verus Alumnus Nutricem liberauit, cuius amorem propensum, nulla seræ posteritatis tollet obliuio, sed calculo albo inscriptus, duraturus in æuum permanebit; quandoquidem sanctum est taliter de Matre mereri. Tot & tanta amplissimæ Domus Tuæ præclara facinora hæc Exigua pagina capere non potis, Codicibus inserenda reliquit; mea autem mens ignara rerum non ea recensere, sed magni vatis S. Joannis Euangelistæ Patroni M. T. intendit offerre elogium, Cui fælix Noui anni auspicium cum Lectissima Consorte Tua EVPHROSYNE *de Jllustrissima* KONIECPOLSCIORVM *Familiâ orta, liberisq; charissimis gratulor, innumerosq; alios fæliciter succedere cupio. Quam animi mei propensionem & Generosi Adolescentis Joannis Stokowski Nepotis Tuï ad obsequia feruorem, cum hoc opusculo eâ animi magnitudine Excipe, quâ alios soles complecti, nosq; beneuolentiâ & custodiâ sinus Tui fouere & tueri velis. Interim Deum Optimum Maximum quòd meum est precabor, vt omnia bona vota Tua secundet & fortunet, diuq; cum vniuersâ Nobilissimâ stirpe Tuâ sospitem habere dignetur.*

Te D E V S *incolumem seruet tibi militet æther,*
Ad nutum Zephyros vellitis instar habe,
Et posthac veræ vtriusq; vitæ cumulet fælicitate. Crac: III. Kal: Jan: anno à Partu Virginis. M. DC. XL. IV.

Jllustris Magnificentiæ Tuæ

indignus Exorator

P. Adam Laurentius Jasiński
Art: & Philosoph: Baccal.

POEMA

In Laudem S. Ioannis Euangelistæ.

ÆTERNI postquàm cælo demissa Tonantis
Nascitur in terris soboles, Verbumq; supernum,
Corporis humani fragiles vix induit artus,
Mox læti Aligerum glomerantur in æthere Cætus,
Gloria voce DEO resonant, pax mittitur orbi,
Imaq; cum superis dulci modulamine plaudunt.
Nec sterilis reperitur humus, quæ fundit abundè,
Heroas Regis magnos Natale sequentes.
Turbine primus adest saxorum pressus, in vlnis
Infantis rutilum gemmis stephanoma reponit.
Aduolat huc alter residens super alite Diuûm,
Vates Bethsaidâ cæli fulgentis alumnus.
Prodromus anticipat Christi prope Cantius ortum:
Hos sequitur numerosa cohors Isacida proles,
Sanguine quæ fuso duplici mercede potitur.
Vndiq; cincta manent Pueri cunabla ministris,
Fasciolis vinctum venerantur poplite flexo.
Ipsa DEI Mater castissima Virgo MARIA,
Cunctas Diuorum superans virtute phalanges,
Suppeditat curas, nè natus vagiat infans.
Pascitur vberibus, qui replet nectare cælum.
Algentemq; fouet, calidum qui condidit ignem,
Nunc pannis arcens, nunc dulcia basia figens,
Ordinat huîc seruos cûi totus militat orbis.
Intonat alma Parens melos ad præsepe Puelli,
Cælicolæ alternis modulantur vocibus hymnos.
Ergo non solum astra dabunt? fert terra Ministros,
A quêis Rex natus toto celebratur in orbe.

Vnum ex his liceat mihi si monstrare Joannem,
Præ reliquis carum Christo memorare necesse est,
Insolitè Christum cecinit qui carmine natum,
Pectore ab autoris quod cænans hauserat imo.
Fælix discipulus patuit cûi dogma Magistri.
Hunc mea Musa canet, niueo qui corpore Virgo,
Vir fuit in pœnis, & plenus Numine vates.
Adsis ætherei celebris scrutator Olympi,
In secreta tuum deduc penetralia Alumnum:
Magne mihi quæso Tutor succurre Joannes,
Sit mihi fas audita loqui, sit tollere nomen,
Laude tuum, mecum iactent oracla Camænæ.
Tu generosa cohors patulas concede loquenti
Aures, atq; faue cupido celebrare Patronum.
Maius opus moueo teneris quàm vincere par est
Viribus ingenij, Charites me dicere cogunt.
Eloquar in primis clarum natale Joannis,
Nobilitas etenim virtutum exordia pandit;
Iunctaq; stirps factis laudem fascesq; meretur.
Nec dubium in Patriâ hæc inuenta fuëre Joannis;
Bethsaidâ licet exiguâ sit Diuus ab vrbe,
Retibus & mersis quærebat gurgite victum,
Quem peperere manus, sic res sudore parandæ:
Pulchrius illustrem fieri quàm Principe nasci.
Defuit haud istud, sed Diues vtroq; Joannes,
Non locus hunc ornat Patriæ qui nomen adauxit.
Zodiacum decuit talem producere Martem,
Qui exoritur cum Solis equis prendentibus altum,
Celsius ipse nitens & primo maior Eòò.
Ducit auos atauos gentis primordia Reges,
Dauidicam fæcunda Domum Zebedæia proles,
Quamuè fauor Christi iunxit sibi corpore fratrem,
Maternâ tanquam profectum stirpe Ioannem.

Stema

Stemma recens ortum (cuius caret incude caſsis)
Creditur, hâud mirum fieri de diuite Codrum.
Ambitione furens iuuenis Pelæus ab inde
Cedat, cornigero finxit qui ſe Ioue natum.
Ampliùs hic video Chriſtum fratrem eſſe Joannis,
Gloria magna ſat eſt Numen ſibi habere propinquum.
Sanguine, ſed maior factis æquare Patronum,
Dignus amore Dei hoc munus non degener hauſit.
Tyndaridæ non ſe iactent Priamèià Regna,
Non ſic clara ſophis Danai Pandionis vrbs eſt,
Bethſais vt famâ iactantius æthera pulſat,
Dum Chriſti comitem meruit retinere benignum;
Quem ſic clara virum gremio volitate per ora
Fudit, vt inpontum iam carbaſa pandat honorum,
Atq; ita cum Laribus Ciuis ſplendore coruſcat,
Vt ſonitu laudum vaſtus triplici ordine Mundus
Perſtrepat, auguſtumq; extendant retia nomen.
Sed minus hoc viſum Diuo eſt, attingere Diuos
Sanguine, depictos generiſq; oſtendere vultus:
Dogmata vera ſequi Chriſti cûi mens fuit vna,
Internos animiq; Deo coniungere nexus
Totus anhelat, & omiſſis fautoribus orbis,
Quærit amicitiam cælo, ingenuitq; repertâ.
Tum DEVS omnipotens talem miſeratus amorem,
Propria terga ſequi iubet, & contemnere rete,
Otia blandiſoni Mundi, curamq; parentum,
Promittens maiorem ſe præbere Parentem.
Vix vbi ſermo Dei cupidas peruenit ad aures,
Anne vides greſſus glomerantem? dogmate Chriſti
Inſtructum iuuenem, referentem ex orbe triumphos
Quos mox primæuis animus ſpectabat ab annis,
Aligerum caſtam viuens ſine crimine vitam.

En modò voce Dei velut acri concitus œſtro,
Omnia ſternit humo, quem non pia cura parentum,
Non prolis ſtudium, thalami quam fœdera gignunt,
Nonq; fames auri, non anxia cura peculîi
Hunc flexit, Chriſti quem gratia ſola trahebat.
O quis tam tenero tam firmum pectore robur,
Conſiliumq́; tibi dedit altâ à mente profectum?
Vt facilem noſcens animo ſequereris IESVM,
Quo Duce vitares ſceleris delubra nefandi.
Poſtquam ſe obſequio Diuino tradidit vltro,
Vnguem diſceſſit nec latum à corpore Chriſti,
Dogmata profundo volutans in corde Joannes,
Mores & vitam vult conformare Magiſtro,
Flantibus hoc cæli Zephyris perfecit ad aſſem:
Nam virtutis amor Diuinum attraxit amorem,
Arctum, diſcipulis reliquis vt carior eſſet.
Cum JESVS montem cuperet conſcendere Thabor,
Et niue candidior, Phæboq; ſerenior eſſet,
Huîc celebri voluit ſpectaculo adeſſe Joannem,
Nomen & horrendum Boanerges contulit ipſi,
Fulmineus fieret mundo qui præco Tonantis.
Quæ tibi tunc ſtudij curæ, quantusq; ſequendi
Ardor erat? quanto flagrabant pectora voto?
Optatos audire ſonos, ſuperumq́; verenda
Maieſtate frui, arcanosq́; apprëndere ſenſus:
Ceu culmus nunquam ſe tollit pinguibus aruis
Imbres ſi deſint, cæli ſuffuſa meatu
Robora ruricolæ ſpectant ſitientibus agris;
Dogmatis haûd aliter refoues dum pectora campo,
Non animum recreare potes, dum fulgura cernas,
Fulgùra de ſuperum tibi promittentia nube,
Queîs fundes pluuiam & tonitru vibrabis in hoſtes.
Hoſtis erat Chriſti gens edita ſemine Iudæ,

Quæ

Quæ temero fontem bonitatis ſuſtulit auſu:
Heu ſcelus infandum! ô pietas iucunda Magiſtro
Diſcipuli, innocuum ſpacio non deſerit vllo.
Accubuit Cænæ mæſtus, quod proditor eſſet
Vnus lectorum Procerum ſceleratus Iüdas,
Qui fraudis reliquos obiecit ſuſpicioni.
Solus viſceribus JESV oſcula fixit amoris,
Vtpote quem rabidæ fraudis delubra laterent,
A quo arcana petens maiorem nouit amorem,
Fælix diſcipulus patuit cuî dogma Magiſtri.
Ampliùs ergo Dei famâ ſuccenſus, ad aulas
Pontificum curritq; pedem pede feruidus vrget,
Nunciat afflictæ Matri quid Filius inſons
Perferat, eloquio & dulci ſolatur eandem,
Exuperat ſtudium Diui, mox in Cruce fixo
Aſſiſtit Domino, carâ comitante Patronâ:
Tunc demùm JESV fraterno adſcriptus amori,
Cum dixit Matri, Mulier natus tuus hic eſt;
Poſthac diſcipulo, En Mater tua: prënde Joannes
Pignora magna ſatis, commercia digna pudoris.
O Hominem vel plus Hominem, Aligerumq; ſodalem,
Mens cuius meruit tædas exoſa iugales
Hanc mutuam Matrem cum prole Tonantis habere:
Taliter eſt prorſus Sanctum de Matre mereri.
Perfida turba caue, iam fulminat ore Joannes
Te fixiſſe cruci Meſſiam Virgine natum,
Non credis? ſcrutare ſepulchrum viuit JESVS,
Quod plenus Diuo teſtatur pneumate vates.
Inuidet hoc ſubito ſtygij dominator Auerni,
Quem virtute Crucis relegauit Amazonis aris:
Monſtrorum horribilem mittit phlegetonte cateruam,
Supponitq; faces irarum Domitiano,
Vt Joannem olei cruciet feruentis aheno

Exuſtum flammis & funere mergat acerbo:
Mulciber haûd potuit caſtum comburere corpus,
Quod vidit nunquam ſenſiſſe libidinis æſtus;
Jllæſus Martyr velut æquore retia laxat,
Ingentemq; Hominum prædam retraxit ab orco.
Non ſatis ô Heros tantos perferre labores,
Sed ſaxoſa tibi viſenda eſt Inſula Pathmos:
Nè vereare tamen, corpus tellure manebit,
Mėns Cherubim ſuperans paſcetur nectare Cæli.
Appulit ad portum vates nouus incola Montis,
Jnſtruit ore viros, animo ſcrutatur Olympum.
Et Neo Chriſticolis fidei Myſteria pandit.
Dêinde redux Epheſum lætatur duplîce lucro,
Miriades hominum peperit quòd dogmate Chriſto,
Atq; arcana Dei penetrauit lumine claro.
Non ſic Amramidæ ſplendebant ora prophætæ
Splenduit vt vates arcano numine plenus:
Verum Euangelium ſuperi ortum Numinis, aſtra
Mirantur, totus ſtupet orbis, ſed timet Orcus
Gorgoneis antris ſpectans, monumenta ſalutis'
Hæreſis inuiſum monſtrum tua dogmata tollit,
Plebs lapſu ad vitium properat ſequiturq; vocantem:
Tu nè cede malis ſed contra audentior ito.
Jmpatiens vinci magnas aſſurgit in iras,
Mox fidei zelo circumdatus ægide Chriſti,
Myſtica verborum contra hoſtes fulmina torquet.
Ter geminat Verbum quod erat Dᴇᴠꜱ vnus, ab ortu
Luciferi, trino quatit oſtia fulmine Ditis:
Trinus & vnus erat Dᴇᴠꜱ, ergo ter hæreſis errat,
Tartareus lacus Ebionem vocat Orcus Herintum,
Æternam Chriſti Deitatem qui eſſe negabant.
Tantus erat Joannis amor qui vindice pennâ,
Hæreſin attriuit ſtygio merſitq; barathro,

Oſten-

Oſtendit vero lumen de lumine verum
Clarâ Euangelij verbiq; ardente lucernâ.
Quæris at vnde fuit talis ſapientia Diuo?
Cælica Mnemoſynæ proles tranſcendit Olympum,
Fulua Iouis caſtam volucris quam detulit alis,
Atq; ſtupenda Dei ſcrutari limina fecit.
O Hominem Angelicâ maiorem laude Joannem,
Cûi Devs arcanum Sophiæ dat munus amanti:
Fungitur officio Diuini gratus amoris,
Nam verbo prodeſt, curâq; medetur Ouili,
Eripit exitio quos funera multa piabant.
Quendam Chriſticolis Iudæum toxica dantem,
Conuertit ſigno crucis, atq; aconita retorquet:
Alterius mortem redimit numiſmate sûopte:
Prædantem iuuenem reuocat, nè præda ſic Orco.
O miranda Dei bonitas, quæ rebus in arctis
Numine ſucurris ſancto mortalibus ægris.
Sic conſtans animo ſemper, ſub mole laborum,
Labitur hâud feſſus, ſed adeſt tranquilla ſenectus
Pectora caſta tegens grandæui pluma Joannis
Cygnea, cûi ſimilem vocem modulatur amoris,
Diſcipulis toties geminans commendat amorem.
Sic meritis pleno nec mundi laudis auaro
Mors accita venit, diſiungit corpore mentem,
Jnnocuam gremio defert & collocat aſtris.
Victus amore Dei, cognato ſanguine victi
Aſtra tenent animum, Paradyſus Corpus amænum,
Erubuit caſtum vermis corrodere dentem,
Sicq; pudicus amor retulit ſua pignora amoris.
Nunc igitur quis te dignè prædicere poſſit,
O decus Heroûm, Comes ô caſtiſſime Chriſti.
Promptius immenſi pelagi numerabit arenas,
Oceanum vt poſſit laudum ſulcare tuarum.

Talis honor venit ſi cûi dignisſimus vnquam;
Nunc venit, & meritos Chriſtus tibi ponit honores.
Hic finis pugnæq; tuæ finisq; triumphi;
Et nos poſt obitum ſimili fac fine potiri.

VATES OMEN FÆLIX PRÆSAGIENS.

GEſtiat noſtri plaga tota Cæli,
Fulgur aurato micet ex Olympo,
Phœbus adductis ſtupeat quadrigis
Numinis ortum.
Terra feſtiuis redimita ſertis,
Hoſpitem lætis recreet triumphis,
Igneos mittat trabibus ligatos
Mulciber orbes.
Mira ſupremi ſoboles Parentis
Naſcitur mundo, generata ab æuo,
Soluat vt vinctum, renouetq; lapſa
Climata terræ.
Quod Sybillini meminere verſus,
Primus hoc vates cecinit Joannes,
Verum & oſtendit remanere paruo
Corpore Verbum.
Diue ſcrutator ſuperum fidelis,
Veritas cuius data codicillis
Adſis, & noſtris precibus faueto
Diue Joannes.
Hic dies anno redeunte feſtus,
Quo DEVS natus comitem te habendo:
WĘŻYKOVIANÆ domui beata
Tempora confer.
Te cliens magnum teneat Patronum,
Cuius eſt inter nitidos Penates
Nomen, hanc vates foueas Joannes
Omine læto.

Hæc domus claro rutilans ophite,
Obtinet castri regimen Syradii:
Candor an virtus voluit Joannem hæc
Scandere rostra.

Gesta serpentum meruëre larga
Præmia in Regno sacra quam profana,
Stemma vel mitras gerit, aut coruscant
Casside cristæ.

Præses in Regni vrbe Siradiensi,
Cui fides cordi pietasq; auita, hic
Vera Primatis Patrui in Nepote
Splendet imago.

Ergo sic diues meritis auorum
Et tuis plenus, generosiore
Mente conscendas Patrios curules
Marte togâq;.

Dum tibi nonæ redeunt Decembres
Viue, cum illustri Sociâ Euphrosyne,
Crescat & Prolis studium relictæ in
Palladis artes.

Sol tibi splendens sit, amica Phæbe
Sospitem seruet, generiq; toti
Alterum in lustrum meliusq; semper
Proroget æuum.

Fertiles tellus Cereris aristas
Proferat, vina & specubus Falerna
Pullulent, fundatq; Tagus metallum
Diuitis auri.

Ales aduersos reprimat Patroni
Hostium incursus, patulisq; pennis
Quamuis inuitæ Domui prêhendat
Semper honores.

Sæua

Sæuâ Parcarum rabies quieſcat,
Fila nec rumpant ſubito ſorores,
Sed tibi fælix veniat ſenectus,
Seraq́, fata.
Serus in cælum redeas, diuq́;
Lætus vtaris properante sêclo,
Donec hic laurus, Tua cælo oliua
Tempora cingat.

Deo ter Optimo Maximo. & Beatiſsimæ Mariæ Virgini honor & gloria perennis.



Sparſa Lycæa tuis Academia ſubÿce Sceptris,
Quæ tibi Lechiaco fixa Trione patent
Gorgonis haûd vereare caput, regit ipſe Vitelli
Aurea quo Muſis pax moderante venit.

